

*Pariet tibi filium et vocabis nomen eius Ioannem.*

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam

1, 5-17

- <sup>5</sup> Fuit in diébus Heródis regis Iudææ  
sacérdos quidam nómine Zacharías de vice Abíæ  
et uxor illi de filiábus Aaron,  
et nomen eius Elísabeth.
- <sup>6</sup> Erant autem iusti ambo ante Deum,  
incedéntes in ómnibus mandátis  
et iustificatióibus Dómini,  
irreprehensíbiles.
- <sup>7</sup> Et non erat illis fílius  
eo quod esset Elísabeth stérilis,  
et ambo processíssent in diébus suis.
- <sup>8</sup> Factum est autem  
cum sacerdotio ipse fungerétur  
in órdine vicis suæ ante Deum,
- <sup>9</sup> secúndum consuetúdinem sacerdotii sorte éxiit,  
ut incénsum póneret ingrèssus in templum Dómini;  
<sup>10</sup> et omnis multitúdo erat pópuli orans foris hora incénsi.
- <sup>11</sup> Appáruit autem illi ángelus Dómini  
stans a dextris altáris incénsi;
- <sup>12</sup> et Zacharías turbátus est videns,  
et timor írruit super eum.
- <sup>13</sup> Ait autem ad illum ángelus:  
«Ne tímeas, Zacharía,  
quóniam exaudíta est deprecátio tua,  
et uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium,  
et vocábis nomen eius Ioánnem.
- <sup>14</sup> Et erit gáudium tibi et exsultátio,  
et multi in nativité eius gaudébunt:
- <sup>15</sup> erit enim magnus coram Dómino  
et vinum et síceram non bibet  
et Spíritu Sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ

- <sup>16</sup> et multos filiórum Israel  
convértet ad Dóminum Deum ipsórum.
- <sup>17</sup> Et ipse præcédet ante illum in spíritu et virtúte Elíæ,  
ut convértat corda patrum in filios  
et incredíbiles ad prudéntiam iustórum,  
paráre Dómino plebem perféctam».

Verbum Dómini.